

14
Q. D. E. V.

47 834
1650 13 17

COLLEGII CONTRACTUUM ET OBLIGATIONUM PUBLICI,

Disputatio Prima

De

CONTRACTIBUS ET OBLIGATIONIBUS IN GENERE,

Quam

Ex Decreto Magnifici Amplissimorum Juris

Consultorum Ordinis,

Sub Præsidio

SAMUELIS Ritter/ Hall. Sax. J. U. L. Curia

Electoralis Advocati Ordinarij,

defendere conabitur,

VALENTINUS FORGACZ

Coronâ-Tranfylvanus

ad d. Octobr. horis Pom.

in Auditorio Jctorum



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typographi,

Anno 1650.



COLLEGI CONTRACTUM ET OT.
LIGATIONUM LIBRIGI

CONTRACTIBUS ET
OBLIGATIONIBUS IN
GENERE

Ex Decreto Magnifici Amplissimi
Sub Presidio

SAMUELE MICHX Hal. Sax. J. U. C.

VALENTINUS FORGACZ

in Auditorio
Coron. Transylvanis



Typis Joannis Rönneri Acad. Typographi
Anno 1850.





IN NOMINE DOMINI
NOSTRI JESU CHRISTI.

Thef. I.

Contractus est conventio (a) duorum
pluriumve (b) per se (c) obligationem
civilem producens (d)

(a) Contractus genus conventionem constituimus,
nullus enim est contractus qui conventionem destituatur, l. 1.
§. 3. ff. de Pact. eoque genere contractus à quasi contractu &
pollicitatione, à delicto & quasi delicto secernitur. Harpr.
§. 2. Inst. de Olig. n. 5. & seqq.

(b) Unus enim & idem secum contrahere nequit,
quia nec se sibi obligare, nec secum agere potest. l. 116. §. 1. ff.
de Legat. 1. §. 6. Inst. de Inutilib. Stipul.

(c) Hisce verbis clarescit differentia inter contractum
& pactum legitimum. Contractus siquidem per se sine ullo
juris subsidio ad obligationem & Actionem efficax est §. 2.
Inst. de obligat. l. 1. in princ. ff. eod. l. 7. §. 1. ff. de Pact. l. 19. ff. de
Verb. Signif. Secus se res habet in Pacto legitimo hoc enim
non vi propria, sed ex legis civilis confirmatione demum ob-
ligationem & actionem pro ducit l. 6. ff. de Pact. Pulchre Bocer.
ad l. 23. ff. de Reg. Jur. c. 1. n. 31. & seqq. Borcholt. in Comment. de Pact.
c. 1. n. 10. & c. 2. in secunda Pactorum divisione n. 1. 2. & seqq.

(d) Hisce verbis contra distinguitur contractus à nu-
do pacto hoc enim non parit obligationem civilem l. 7. §. 4. ff. de
Pact. Bocer. d. l. n. 37. Quamvis de consuetudine aliud vi-
deatur introductum Wesemb. ff. de Pact. n. 10. Declarata

A

itaq;



itaq; definitione apparet, eos quoq; contractus, 'qui non ex utroq; sed alterutro latere tantum obligationem introducunt, veros & proprios esse contractus. Non obst. l. 19. de Verb. Signif. Bocer. d. l. n. 12. Besold. in Tract. Mutui c. 2. in fin.

Th. II.

Triples Contractuum divisio potissimum in Jure reperitur, Contractus enim alij vel sunt Nominati vel Innominati (a) Alij vel Bonæ fidei vel stricti Juris (b) Alij dicuntur aut Re aut verbis, aut Literis aut consensu contrahi (c).

(a) l. 7. §. 1. 2. ff. de Pactis. l. 1. 2. & 3. de Prescr. Verb. Morz. in tract. de Contract. Artic. 4. n. 9. & seqq. Schneidv. §. 12. Inst. de obligat. n. 8. Nominati dicuntur qui proprium & speciale nomen habent, Jure Civili adinventum; Ut mutuum Depositem, Emptio, Venditio, Stipulatio, &c d. l. 7. ff. de Pact. Innominati dicuntur qui speciali nomine Jure Civili ipsis attributo, destituuntur; quales sunt do ut des, do ut facias, facio, ut des, facio ut facias. l. 3. l. 5. ff. de Prescript. Verb.

(b) §. 28. Inst. de Act. l. 32 §. 2. ff. de Usur. l. 26. ff. de Donat. c. 6. §. ad hæc Episcopus X de Except. Dicuntur autem bonæ fidei, non quod alij sint malæ fidei, in omnibus enim contractibus bona fides requiritur. l. 4. C. de Oblig. & Action. sequia in horum contractuum Judicio condemnatio fit ex bona fide, h. e. ex bono & æquo, ultra id etiam de quo in ipsa conventionem expressè convenit. l. 7. ff. de Negot. Gest. §. 5. Inst. de Locat. & Conduct. Stricti Juris contractus sunt, in quorum Judicio strictè fit condemnatio, de iis tantum, de quibus in conventionem disertè actum fuit. l. 126. §. 2. ff. de Verb. obligat. Bocer. ad. l. 23. ff. de R. J. c. 2. n. 7. Harpr. §. 2. Inst. de Obligat. n. 24

(c) Videatur §. 2. Inst. de obligat.

Th. II

Th. III.

Causa contractuum Efficiens Remota est vel Jus Gentium, (a) vel Jus Civile (b) Propinqua Consensus. (c)

(a) Juris Gentium sunt Contractus illi & alij in numerabiles, quorum mentionem facit Imperator in § 2. in fine. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civil.

(b) Qui Contractus Juris Civilis sint ratione originis & formæ Dd. inter se non conveniunt? Nos tres potissimum ad Jus Civile referimus; Stipulationem s. verborum obligationem §. 9. Inst. de Act. l. 126. §. 2. ff. de Verb. oblig. l. 1 ff. Locat. l. 1 4. in fine ff. de Novat. l. 53. ff. de Acq. Rer. Dom Cujac. ad l. 1. ff. de Verb. Oblig. Hackel. Diss. III. ad Pand. 22. Th. 1. l. e. & f. Treutl. v. 2. disp. 27. Th. 1 l. c. Gædd. in Comment. de Contrab. & Commit. tend. Stipul. c. 2. concl. 1. Literarum obligationem t. t. Inst. de Literar. oblig. Joh. Faber n. 14. Myns. n. 16. Borch. n. 9 Schneidv. n. 21. ad §. 2. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ. Et Sponsalitiæ largitatem s. donationem propter nuptias. §. 3. Inst. De Donat. Novell. 119. Corass. de Art. Juris p. 2. c. 9. circa fin. & Dd. ad d. §. 2. communiter. De Emphyteusi disquirunt Dd. num quid & illa Juris Civilis sit? Negantibus assipulamur arg. §. 3. Inst. de Locat. & conduct. Hilliger. in Donell. Enucl. l. 13. c. 22. l. b. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. disp. 29. Th. 9. l. 6. Arum. Exerc. 14. Th. 12. Gerb. Dec. 15. quest. 4. Dominus Ungepauc Exerc. 12. quest. 6.

(c) Qui basis & fundamentum omnium contractuum est

Th. IV.

Materia contractuum sunt Res (a) & facta (b).

(a) §. fin. Inst. De Verb. Oblig. l. 2. ff. eod. Donell. l. 12. Comment. c. 20. Res quidem omnis generis quæ sunt quæq; erunt modo contrahentium commercium non effugiant eximuntur



tur autem commercio quæ neq; in rerum natura jam sunt, neq; futuræ sperantur, *l. 43. §. 1. ff. de contrab. Empt.* Item Liber Homo Res Publici & Divini Juris, in quibus ad eo nulla subsistit conventio; Ut nec æstimatio earum peti nec pœna promissa exigi queat nec ex post facto, si in hominum cōmercio esse cœperit conventio reconualecat. *§. 1. & 2. Inst. De inutil. Stipulat. ibiq; Harpr. l. 38. §. 5 ff. De Verb oblig. Donell. d. c. 20. Res item litigiosæ. l. 1. ff. de Litigios. & t. t. C. eod.* Et si quæ sunt hujus generis aliæ.

(b) Facta in Contractum deducuntur quævis, dummodo propria, non etiam aliena, *l. 83. ff. Verb. Oblig. §. 3. Inst. de Inutil. Stipul.* exceptis ijs quæ inhonesta, quæ turpia, quæq; naturâ impossibilia aut Legibus bonisq; moribus sunt contraria *l. 26. ff. de Verb. oblig. l. 7. §. 7. ff. de Pact. l. 6. C. eod. l. 5. C. de Legib. Donell. l. 12. Com. c. 21. ibiq; Hiliger. in suis not.* Et contractus super ejusmodi factis inniti, in tantum Jure Civili improbantur, ut nequidem religione Juris Jurandi confirmentur, *l. 5. C. de Legib. & ibi Dd. communiter.*

Th. V.

Forma Contractuum duplex est, altera Naturalis (a) altera conventionalis. (b)

(a) Naturalis est, quæ unicuiq; contractui jure imposta est; Estq; vel merè naturalis, vel substantialis. Merè naturalis versatur circa ea, quæ contractui tacitè insunt si expressa non sint, attamen pacto, citra ipsius contractus corruptionem mutari queunt, *Mozz. in tract. de Contract. Art. 6. n. 1. Schneidw. in Tract. Feud. p. 2. c. 2. n. 8. Harpr. §. 2. Inst. de Oblig. n. 26. e. g. Naturale Emptionis & Venditionis est, ut venditor obligetur de Evictione & etiamsi hoc expressè conventum non sit, l. 11. §. 1. 2. ff. de Act. Empt. Nihilominus tamen salvo venditionis contractu, partes pacisci possunt, ne venditor de Evictione teneatur d. l. 11. §. 18. ff. de Act. Empt. Covarr. l. 3. Var. Resol. c. 17. Substantialis dicitur quæ ita ad formam & ad essentiam unius cujusq;*

jusq; Contractus requiritur, ut sine eà contractus subsistere
 minimè possit *l. 72. Et ibi gl. sum. Dd. ff. de contrabend. Empt. e. g.*
 Substantia Emptionis & Venditionis est pretium, merx, & con-
 sensus. Sine his quippe Emptio consistere nequit, *l. 2. §. 1. l. 8 ff.*
eod. Adeo enim substantialis forma hæc, speciem cujusq; con-
 tractus constituit, ut contrahentium voluntate mutari non
 possit. Textus habetur *in l. 6 ff. de Præscript. verb.* Hisce proxi-
 mè accedit forma solennis; quæ tamen re ad validitatem con-
 tractus præter substantialem & materialem formam introducta
 est, e.g. Si Pupillus aut minor sine Tutoris Autoritate & Decre-
 to Judicis, Rem immobilem alienet sive vendet, quamvis hæc
 venditio substantialem habeat formam, si tamen neglecta fue-
 rit Tutoris autoritas & decretum Judicis, minimè subsistere
 poterit, *§. ult. Inst. quibus alienare licet vel non l. 9. in pr. ff. de Autor.*
Et Consens. Tat. t. t. C. de Prud. Et alis Rebus Minor Et c. quamvis
 pupillo vel minori utilis fuerit *l. 5. §. 14. l. 13. in pr. ff. de Reb. eorum*
qui sub Tutela Et c. Pinell. in repet. l. 1. pat. 3. n. 31. de bonis mater.
Fach. l. 3. Controv. Jur. c. 3. Hackel. Disp. Illr. ad Pand. 3. Th. 14. l. c.
Harpr. §. 2. Inst. quib. alien. lic. vel non. n. 12. Et seqq.

(b) Conventionalis vel Accidentalisis contractus Forma
 est, quæ contractui præter ejus naturam pacto contrahentium
 accedit, *Menoch. cons. 36. n. 99. lib. 1.* Certi quippe & indubitati
 Juris est, conventionem atq; Pactum contrahentium Formam
 dare contractui, modo Pactum incontinenti & non ex inter-
 vallo adjecerit. Hinc nobilis exurgit controversia; Numquid
 Pacta adjecta tam bonæ fidei quam stricti Juris contractibus, il-
 los iuformet pariantq; actionem? Affirmativæ subscribimus,
 per textus clarissimos qui habentur *in l. 4 §. fin ff. de Pact. l. 40.*
de Reb. Cred. Fach. l. 2. Cont. c. 29 Gædd. in tract. de contrab. Et com-
mit. stipulat. c. 8. Hotom, quest. Ill. 36. Hænon. Disp. 22. ad Inst. co-
roll. 1.

A 3)

Th.

Th. VI.

Omnis Contractus in super vel purè fit
(a) vel sub conditione (b).

(a) Ex contractu purè celebrato, licet de rigore Juris statim peti possit cum in eo cesserit & venerit dies §. 2. *Inst. de verb. oblig. l. 41. §. 1. ff. eod. l. 213. ff. de verb. signif. l. 14. ff. de R. J. adeò, ut nec dies obligationi impedimento sit, quamvis debiti inditem petitio eousq; differatur, d. §. 2. *Inst. de verb. oblig. l. 9. ff. de reb. cred. l. 44. §. 1. ff. de obligat. & act.* Non tamen statim ad solutionem debitor adigendus est, sed arbitrio Judicis pietatis & humanitatis intuitu, modicum tantumq; temporis illi debet præfiniri, intra quod id, quod promissum est, commodè præstare ac solvere possit, arg. §. *fin. Inst. de Inutil. Stipul. l. 13. ff. de solut. nec enim importunus creditor statim cum sacco paratus debitorem adire debet. l. 105. ff. de solut. Treutl. vol. 2. Disp. 27. tb. 6. l. a. ibiq; Bach. & Hunn.**

(b) Condicio respicit vel futurum tempus, vel præsens vel præteritum. In futurum tempus si fuerit collata, differt & obligationem & solutionem, arg. §. 4. *Inst. de verb. oblig.* In præsens vel præteritum concepta tempus, cum vera condicio non sit, pro purâ stipulatione habetur, §. 6. *Inst. de verb. oblig. l. 120. ff. eod. l. 37. cum dub. seqq. ff. de reb. cred.*

Th. VII.

Causa Contractuum finalis præcipua est, ut producat obligationem.

Th. VIII.

Obligatio (a) est juris vinculum (b) quo necessitate astringimur (c) alicujus rei solvendæ (d) secundum nostræ civitatis jura (e).

(a) Princ.

(a) *Princ. Inst. de obligar.* dicitur autem obligatio à ligando seu vinciendo, hinc metaphoricè significat nexum, quo quis vel ex contractu, vel delicto aliquo tenetur. Numquid autem obligatio ad Jus rerum pertineat; elegans est controversia *Inst. Affirmativæ* subscribimus. Quæ ipsa primò omnium ex Instituto Divi Imperatoris nostri eruitur; qui à *lib. 2. Inst. Rerum* tractationem suscipit, eamq; continuat usq; ad *tit. 6. Lib. 4. Inst. princ. Inst. de rer. divis. ad Tit. vero 6. dicti lib. 4. Inst.* Actiones demum prossequitur; atq; ita *lib. 1.* absolvit Jus Personarum seu personas, inq; tria objecta diviserat Justinianus suam Methodum, §. *fin. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civ.* ad præscriptum Caij JCrri in *l. 2. ff. statubomin.* Ut ita Vultejo JCrro alias præcellentissimo, *lib. un. Discept. Scholast. c. 4. n. 16.* ut & in continuatione ad *princ. Inst. de oblig.* Obligationes ad Jura personarum referentis, assentiri minimè queamus. Cujus argumenta eruditè & prolixè refutat *Riemer. dec. 9. quest. 1.* Facit insuper pro sententiâ nostrâ, ipsum *princ. Inst. de oblig. Hiliger. ad Donell. lib. 12. c. 1. l. 4. Gædd. de contrab. stipul. concl. 3. n. 15. Arum. Exerc. 12. Tb. 2. & 3. Harp. ad princ. Inst. de oblig.*

(b) Verba hæc Generis loco posuimus, quia omnis obligatio vinculum rectè dicitur *l. 59. ff. de condi& indeb.* e contra autem non omne vinculum obligatio est; Finis etenim & aliæ ejusmodi res materiales, quibus vel homines vel bestia vincuntur vincula quidem audiunt, non tamen è eonfestim obligationes sunt: quapropter ut isthæc removerentur, vocabulum tunc appositum est; quod scilicet obligatio sit Juris vinculum, h. e. vinculum incorporale & intellectuale, s. Jus vinciens & ligans.

(c) Verba hæc differentiam specificam inducentia, ad ipsum obligationis finem & effectum accommodantur. Obligationum enim substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat; sed ut alium nobis ad dandum aliquid vel faciendum, vel præstandum obstringat *l. 3. ff. de Oblig. & act.* Obligatio igitur ex aliena voluntate vel arbitrio pendens; obligatio non est, *l. 7. ff. de Contr. Empt.*

Empt. l. 17. l. 108. §. 1. ff. de Verb. Oblig. l. 8. ff. de Oblig. & Act. Pulcre Harpr. in princ. Inst. de Oblig. n. 14. & seqq.

(d) Vocabulum solutionis hic generaliter & latissimè accipimus, ut non solum nummorum solutionem, sed omnem liberationem quocunq; modo contingentem, & quamlibet præstationem, sive in dando sive in faciendo consistentem sub se includat *l. 176, ff. de verb. signif. l. 54. ff. de solut. Donell. l. 12. com. c. 1.*

(e) Verba hæc hoc potissimum volunt; nullam solutionem rei quæ in obligationem introducta est, subsistere posse, nisi fiat secundum naturam Actionis à Jure civili eoq; nomine introductæ, vel eo expediatur modo, quo Jura civilia expressè constituerunt, *Harpr. d. l. n. 20. & seqq. Brochm. ibidem n. 4.*

Th. IX.

Causa obligationum Efficiens Remota est vel Jus Gentium vel Jus civile, Propinqua Consensus (a)

(a) Videatur supra Th. 3.

Th. X.

Contrahere & obligari possunt omnes quicunque non prohibentur; Prohibentur autem alii ratione potestatis (a) alii ratione ætatis (b) alii ratione vitii quod vel animi (c) vel corporis est. (d)

(a) Tales sunt servi de Jure Civili Romano *l. 54. ff. de Reg. Jur.* Ex delictis tamen obligantur *l. 14. l. 43. ff. de Oblig. & Act.*

(b) Tales, sunt infantes, cum consensu & Judicio destituantur; licet enim Judicium & consensum potentiâ; non tamen actu habent nec in effectum eum producere valent. *l. 1. ff. de Verb. Oblig.* Idem quoq; ferendum judicium de pupillis est.

est. l. 43. ff. de oblig. & Act. adeo, ut sine autoritate tutorum ne quidem naturaliter obligentur l. 59. ff. de oblig. & act. l. 41. ff. de condiēt. indeb. Rimer. dec. 3. q. 8. Sed quid juris de minoribus, poterunt hi sine curatorum consensu obligari? Neg. l. 3. C. de restitut. in integr. ibiq; Castrens. Salicet Sichard. Donell. ad. l. 101. ff. de verb. oblig.

(c) Ob vitium animi contrahere & obligari prohibentur; Furiosi & mente capti; quia horum consensus eo ipso, quo furiant & desipiunt, nullus est. l. 1. §. 12. ff. De oblig. & Act. quod ipsum ad prodigum quoq; cui bonis interdictum est, extendimus l. 40. ff. de Reg. Jure l. 25. ff. de Fidejuss.

(d) Ob vitium corporis contrahere vetantur illi, qui à naturà nec audiunt nec loquuntur; adeoq; animi sensa exprimere nequeunt. arg. l. 1. §. pen. & ult. ff. de oblig. & Act. §. 3. Inst. Quib. non est perm. fac. Test. Aliud tamen Juris obtinet in eo qui à naturà vel mutus tantum vel surdus tantum, vel utrumq; sed calu existit, modo intelligat quid agat, & si id, quod intelligit se agere, palam demonstrat. l. 48. ff. de Oblig. & Act. l. 43. ff. de Procurat. Reliqui omnes contrahere & obligari possunt, sive sint Patres familias. l. 43. ff. de oblig. & Act. sive filij familias l. 39. ff. eod. s. Masculi s. Fœminæ, modo non pro alio intercesserint. l. 7. ff. ad Sctum Vellejan. nec interest, an absentes vel præsentes sint l. 2. §. 2. ff. de oblig. & Act.

Th. XI.

Dividitur obligatio primo in Naturalem (a) & Civilem (b).

(a) Naturalis obligatio est, quæ ex naturali obligatione causam habet, & solo æquitatis vinculo nititur. l. 95. §. 4. ff. de Solut. Jure Civili ad Actionem producendam inefficax, licet de Jure naturali aliud sit statuendum. Wesemb. de Pact. n. 9.

B

(b) Civilis

(b) Civilis obligatio est, quæ oritur ex Jure Civili *l. 5. ff. Just. & Jur.*; & est vel Civilis ppropriè sic dicta, quæ ex lege aliqua descendit; vel Prætoria, quæ ex Edicto aliquo prætoris ortum trahit. *l. 52. §. 5. & 6. ff. de obligat. & Act.* Propriè tamen loquendo, illa demum rectè obligatio dicitur, quæ & civilem & naturalem simul sub se complectitur, hæc enim efficax est, & vinculum illud Juris habet, cujus in definitione fit mentio *princ. Inst. de oblig. Wesemb. ff. de Oblig. & Act. n. 6.*

Th. XII.

Altera Obligationum divisio est, quod quædam obligationes aut sint ex contractu aut quasi ex contractu, aut ex maleficio, aut quasi ex maleficio. Obligationum ex contractu æquè 4. sunt species, aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis aut consensu. (a)

(a) Videatur §. 2. *Inst. de obligat.* Sed de his fufius infra suo loco agemus.

Th. XIII.

Materia ex qua existunt obligationes, sunt facta [a.] Materia circa quam, Res licitæ & possibiles. (b)

(a) *l. 3. ff. de obligat. & Act.*

(b) Rerum

840

(b) Rerum enim turpium l. 26. ff. de verb. oblig, ut & impossibilium l. 1. §. 3. l. 31. ff. de Oblig. & Act. l. 145. ff. de Reg. Jur. nulla est obligatio. Wesembec. ff. de Oblig. & Act. n. 8.

Th. XIV.

Forma obligationum pro voluntate contrahentium variare solet (a)

(a) Videmus enim quasdam Obligationes verbis, quasdam conventionem & pactis, quasdam scripturâ, quasdam aliter formari. l. 4. ff. de Pignor. l. 16. C. Fid. Instrum. Wesemb. de Oblig. & Act. n. 8. Sic ad formam obligationum quoque, pertinet quod diem recipiant § 2. Inst. de Verb. Oblig. ut & conditionem, l. 42. ff. de Oblig. & Act. Item modum accessionem, l. 44. § 3. & 4. ff. cod. Wesemb. d. l.

Th. XV.

Finis & effectus obligationis est, ut ad dandum & faciendum aliquem obliget, actionemve ad id exigendum producat (a)

(a) l. 3. ff. de Oblig. & Act. l. 20. C. de Pact. l. 42 §. 2. ff. de Procurat. Wesemb. d. l. Mejer, ibidem Th. 11.

Th. XVI.

Tollitur obligatio mutuo dissensu (a)
Solutione (b) Acceptilatione (c) Novatione
(d) Compensatione (e). &c.

(a) §. ult. Inst. quib. mod. toll. oblig.

(b) princ. Inst. eod. t. r. ff. & C. de solut. aliud tamen pro alio non recte solvitur l. 2. §. 1. ff. de reb. cred.

B 2

(c) §. 1.

(c) §. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig. t. t. ff. & C. de Acceptil.

(d) §. 3. Inst. quib. mod. toll. oblig. t. t. ff. & C. de Novat. Novatio autem hodie demum ita recte fit si novare se, posterioremq; stipulationem novandi animo interponere velle, disertè & specialiter contrahentes expriment; d. §. 3. l. ult. C. de Novat. Illud in disquisitionem venit; Numquid poenali stipulatione, præcedens obligatio novetur? Negamus in obligationibus dandi, l. 115. §. fin. ff. de verb. oblig. ibiq; Donell. n. 31. Gædd. in Comm. de Contr. Stipul. c. 5. concl. 7. n. 54. & seqq. Affirmamus in faciendi obligationibus, l. 44. §. fin. ff. de Oblig. & Act. Dn. Franzkius Exerc. Jur. II. quest. 9.

Th. XVII.

Sed cum sæpissimè in materià Contractuum & Obligationum mentio fiat doli, culpæ, & casus fortuiti, paucis de iisdem videbimus.

Th. XVIII.

Dolus est simulatio juvandi nocendiq; causâ adhibita, & dividitur in bonum (a) & in malum (b)

(a) Dolus bonus est se ipsum, vel alterum, proprias res vel alienas juvandi inventa simulatio, qui dolus pro solertiâ & industriâ accipitur, l. 1. §. 2. & 3. ff. de dol. mal.

(b) Dolus malus est omnis calliditas fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita, l. 1. §. 2. in fin. ff. de dol. mal. Boceri. ad l. 23. ff. de Reg. Jur. c. 3. n. 2. & seqq.

Th.

Culpa est imprudentia (a) qua homines circa res alienas (b) vel negligunt, quod fieri oportet (c) vel faciunt quod omitti debent. (d)

(a) Definitio hæc *Coras. lib. 4. miscell. c. 1. n. 9. & Harp. est. in §. 2. Inst. de Oblig. n. 75.* Generis loco ponitur imprudentia, si enim sciens prudensq; aliquid committeret, hoc ipsum non in culpam, quæ ab in scientibus & improvidis duntaxat contrahitur, incidere, sed in ipsum dolum aberraret. *l. 1. §. 2. ff. de Dolo Malo.*

(b) In bonorum enim priorum administratione, culpa nec considerabilis nec punibilis. *l. 18. §. 1. ff. solut. Matrim.* Nisi forsitan in summum rei propriæ abusum degeneret. *§. 2. Inst. de his qui sui vel al. Jur. l. 2. ff. eod.*

(c) Quia culpa ut plurimum circa desidiam & negligentiam occupata est, & revera nihil aliud quam ipsa negligentia censetur. *l. 226. ff. de Verb. Signif. ibiq; Gædd. Bocer. d. l. n. 9.*

(d) Culpa siquidem non saltem in desidiam & negligentiam sed quandoq; etiam in facto versatur. *l. 31. ff. ad L. Aquil. l. 91. ff. de Verbor. Oblig. Coras. & Harp. dd. ll.*

Th. XX.

Culpæ non dantur species (a) sed saltem gradus, alia itaq; est lata (b) alia levis (c) alia levissima (d).

Nan.

(a) Nam majus & minus non variant species *l. 11 ff. quemad. servit amittit. l. ult. ff. de fund. & Instrum. Legat. Coras. d. l. 4. Miscell. c. 1. n. 5.*

(b) Lata culpa quæ & magna dicitur *l. 22. ff. de Verb. Sig.* est prætermissio minimæ diligentia, h. e. ejus diligentia quam hominum natura desiderat *l. 32. ff. deposit. Bocer. d. l. 23. ff. de Reg. Jur. c. 3. n. 11.*

(c) Levis culpa est mediocris diligentia debitæ prætermisio; ut cum quis mediocrem diligentiam debet, h. e. quam mediocris Pater familias suis rebus adhibet, nec eandem, sed minimam saltem præstat. *l. 22. § 3. ff. ad Sctum. Trebell. Boc. d. l. n. 18.*

(d) Levissima culpa est summæ vel exactissimæ diligentia prætermisio ut cum eam diligentiam, quam diligentissimus quisq; & optimus Pater familias suis rebus adhibere solet, quis debet, nec tamen eam præstat. *l. 1. §. 4 ff. de Oblig. & Act. l. 18. ff. Commod. Bocer. d. l. n. 22.*

Th. XXI.

Casus Fortuitus nihil aliud est quam inopinatus eventus, quem nullum consilium humanum prævidere potest, (a)

(a) *l. 2. §. 7. ff. de Administ. rer. ad Civ. pert. l. 6. C. de Pignor. Act.* Casibus fortuitis incendium annumeramus. *l. 1. §. 4. ff. de Oblig. & Act. l. 23. in fin. ff. de Reg. Jur. ibiq; Bocer. d. c. 3. n. 35 Gaill. lib. 2. Observ. 22. n. 3. Hilliger. ad Donell. l. 16. c. 6. l. K.* Sed jam quæritur quid in uno quoq; contractu sit præstandum? Distingnendum aut contractus fiunt utriusq; contractuentium gratiâ, aut dantis, aut accipientis. Priori casu,

Dolus,

21
Dolus, & lata, levis culpa præstatur. Altero, Dolus & lata culpa duntaxat. Posteriori, Dolus, lata, levis & Levissima culpa. Ungepaar. Merc. 12. quest. 7. Catus Fortuitus regularitèr in nullo contractu, excepto mutuo præstatur. arg. l. 23

ff. de Rig. Jur. Harpr. S. ult. Inst. de Oblig. n. ult.

S. D. G.



GRatus odor cerebro est, quem dulcis amaracus ha-
Illius at spurcas enecat aura sues. (lat.
Gratus odor Doctis hic est, quem spargis Amice,
Sed mordet Mimum, dum tuà dicta sapit.
Verum laudato noli desistere capto
Quin potius doctis perge placere Viris,

Præses.



CONTRACTUS grave Jus, & quæ vis obliget omnes,
quo quot Justitiæ Numina Sancta colunt,
FORGACZI, meditaris & hæc te maxima versat
Cura sub ortivos occiduosq; dies.

CON-

842

38
Contractus Tu deinde tuos cum Legibus urge
Sedulus, & Juris volve, revolve Libros:
Sic erit, ut quondam Tibi se Themis obliget arctis
Nexibus, & dotes spondeat innumeras.

Præximo Dn. Respondenti,
Comensali honorando

L. M q;

facieb.

M. Zacharias Hermannus
Vratislav.



Wittenberg, Diss., 1650-51(1)


VJ 17

ULB Halle 3
002 673 339



56.







14
Q. D. E. V.
COLLEGII CONTRACTUUM ET OB-
LIGATIONUM PUBLICI,
Disputatio Prima

49. 834
17
1650 13

De
CONTRACTIBUS ET
OBLIGATIONIBUS IN
GENERE,

Quam
Ex Decreto Magnifici Amplissimorum Juris
Consultorum Ordinis,
Sub Præsidio

SAMU'ELIS Ritter/ Hall. Sax. J. U. L. Cu-
riae Electoralis Advocati Ordinarij,
defendere conabitur,

VALENTINUS FORGACZ

Coronâ-Transylvanus
ad d. Octobr. horis Pom.
in Auditorio Jctorum



WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typographi,
Anno 1650.